Opuscula

✠
IN NOMINE DOMINI, AMEN.

QUÆSTIO JURIDICA.

De FERIIS.

Ex c. Omnes dies. e. t. junct. l. Dies Festos. C. e. t.

Pro Loco

In Collegio CC. DD. Jure Consultorum

Studii Generalis Universitatis Cracoviensis

OBTINENDO,

Sub Gratiosa Protectione

CELSISSIMI PRINCIPIS, ILLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI &

REVERENDISSIMI DOMINI,

D. ANDREÆ STANISLAI KOSTKA,

COMITIS in ZAŁUSKIE

ZAŁUSKI,

EPISCOPI Cracoviensis, DUCIS Severiæ

EQUITIS AQUILÆ ALBÆ,

Studii Generalis Universitatis Cracoviensis

FAVENTISSIMI CANCELLARII.

PER

M. CLEMENTEM STANISLAUM KOSTKA HERKA,

Philosophiæ Doctorem, ejusdem & Linguæ Gallicæ Ordin: Professorem, U. J. Baccalaureum, Collegam Minorem, Ecclesiarum; Collegiatarũ SS. OO. Crac: CANONICUM, Boboviensis CUSTODEM, Parochialis Droginensis Curatum, Archipresbyteralis Cracoviensis Sabbat. Concionatorem.

In Lectorio Collegii Juridici Cracoviensis


Publicè ad disputandum

PROPOSITA.

Annô Domini 1748. Die Jovis 9. Mensis Maji.

Cracoviæ Typis Collegii Majoris Universitatis.

In GENTILITIUM
CELSISSIMÆ *DOMUS* ZAŁUSCIANÆ
INSIGNE.



AGNE! pedem dum tollis, eas, Tibi murice Vellus,
Si curras, optat tingere Roma suo.
Nempe reor, quòd talis Ei, quæ Sanguine Divûm
Tinctaq; quæ Regum, sanguine Lana placet.

CELSISSIMO PRINCIPI,
ILLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO
&
REVERENDISSIMO DOMINO,
D. ANDREÆ
STANISLAO KOSTKA,
COMITI in ZALUSKIE
ZAŁUSKI,
EPISCOPO Cracovienſi, DUCI Severiæ,
EQUITI AQUILÆ ALBÆ,
Studii Generalis Univerſitatis Cracovienſis
FAVENTISSIMO
CANCELLARIO.
Domino Protectori
Ampliſſimo.

EXtra quæſtionem ſit licèt, me jure multiplici Tuum eſſe, ne tamen à quopiam, vel futuris unquam temporibus, vocari in quæſtionem poſſit, hoc etiam Juridico Actu, quem Tibi devotiſſimè dedico, notum publicè, teſtatumq; id facio. PRINCIPUM Celſiſſime, Antiſtitum Illuſtriſſime. *Non aliud quippe appeto, quàm Tuus perenniter nuncupari, imò ſi vel æqualem cum magnis gloriam, vel parem cum meritiſſimis ambirem famam, non aliud poſſem; hoc unicum, quo-*

cunq; titulo Tuus dici; fastis & fascibus, ori publico & honoribus, anteponens. Scilicet: & ex Sanguinis Tui, qui & Regum venis infunditur, dignitate, & ex eruditionis omnigena, quæ hujus confessione sæculi, & expresso totius literati Orbis consensu, stupenda est in Te, excellentiâ; & ex Episcopalis Authoritate Iudicii, Dignationis Tuæ Majestas est tanta, ut quemcunq; sibi mancipaverit, sola ei ad gloriam, sola ad famam sufficiat immortalem. Profitetur & tota id mecum Universitas, quæ ut tantùm supremo in Ea Cancellariatus Ejus delato Tibi munere, simulq; collatis à Te in Eam, benevolentiæ, & Favoris Tui gratiosi suffragiis, cœpit esse Tua, illico, & fæcunditate ingeniorum uberior, & doctrinæ soliditate robustior, & laborum assiduitate operosior, & omni nunquam interruptorum, in Ecclesiam & Rempublicam meritorum genere, habetur ubiq; celebrior, magisq; adeo, dum Tua fuerit, habebitur in dies; ut nemo dubitet, famam Ejus & gloriam, sub Te CANCELLARIO Ejus augendam, usq; ad invidiam Gentium, & ad superbiam sæculorum. Feriari mihi jucundissimè viderer o Princeps! si de Te vel in immensum scriberem; Cùm tamen vel in immensum scribens, partem etiam laudis, tam Tuæ, quàm Celsissimæ Domus Tuæ, exigere vix quis possit, ut Exoticus etiam, judiciosissimè scripsit Iuris Professor Chladenius: (a) & ex Doctrina Baldi (b) pauca dicere de Principe monear, votis in Te o Princeps facundior omnino quàm verbis, has jam tantùm ad præsens, laboris mei, in publica Iuris Professione primitias, ad sacram Purpuræ Tuæ, una mecum depono fimbriam, in perpetuum videlicet, ejus rei testimonium, quòd maximæ ducam gloriæ, esse in omni actu, semper dici, & ubiq; scribi.

(a) in Præfat. ad Orat. sub tit. Gentis Zaluscianæ oracula &c.

(b) in Præfat. Feud. v. nunc aliquã.

Celsitudinis Vestræ Illustrissimæ,

devinctissimus Cultor & servus

M. Clemens Stanislaus Kostka
Herká, U. J. B.

QUÆSTIO JURIDICA.

UTrum Feriæ in honorem DEI & Sanctorum, à potestate publica institutæ, in ordinarias & extraordinarias distinctæ, ab omnibus CHRISTI Fidelibus observari, & in illis actus Jurisdictionis contentiosæ, exerceri possint & valeant nec ne?

CONCLUSIO I.

FEriæ in DEI honorem & Sanctorum, à potestate publica institui debent. (1)

1. Arg: c. Solitæ. de Majorit. & obedien: c. Per Venerabilem, qui filij sint legit. & l. Anullo. C. de Feriis.

COROLLARIA.

I. Feriæ sive secundum alios denotent ignaviam & desidiam, quòd in honorem DEI & Sanctorum Ejus dicatæ, desistere jubeant ab operibus servilibus (2) sive à feriendis & ferendis victimis ac holocaustis, quòd in illis olim Romani, diis suis ferire, & offerre victimas & holocausta consveverant (3) sive à fando, quòd DEVS in creatione mundi, quolibet die fabatur seu loquebatur, dicendo fiat lux, fiat firmamentum &c. (4) sive nefasti dies appellentur, quòd illis non licebat lege agere, & Prætor illa tria verba, *do, dico, addico*, efficaciter effari non poterat, (5) in illis tamen non solùm commessationes, ebrietates, & ludi, antea fieri soliti (6) sed etiam strepitus forensis, & actus Iurisdictionis contentiosæ, Iudice pro Tribunali sedente, interdicuntur (7) ac ideo Feriæ, justitium ex eo dicuntur, quòd hoc tempore jus stet, & non progrediatur. (8)

2. Stac. de Iudic. Lib. 2. cap. 5. n. 1. Ambros: Calepin. v. Feriæ Festus Lib. 6. & Feßan. decis. 39. n. 11. de Feriis.

3. *Abb. in c. Fin. de Feriis & Mandos. de Commißar: & Commision: 13. Feriis non obstantib: v. Ferias f. 74.*

4. *gloß. in Clemen. un. v. Feriam. de Reliqu: & venerat: Sanctor: Scac: & Abb. ubi supra, & Vocabular. V. I. v. Feria.*

5. *Valens. in Paratitl: Decretal: Lib. 2. tit. 9. n. 2. & Varro de Lingv. Latin.*

6. *Can: Commessationes. dist. 44. & Concil: Triden: Seß. 25. de Invocat. Sanct. prope fin.*

7. *c. fin. de Feriis. & l. Divus Trajanus. ff. de Feriis & dilationibus.*

8. *Pichler Lib. 2. Decretal. tit. 9. n. 1. Valens. ubi supra & Vesenbec. in Paratitl: ff. h. t. n. 2.*

II. Per strepitum forensem, diebus feriatis prohibitum, intelligitur hic formatio Processus, cognitio causæ controversæ, & prolatio sententiæ, jam verò per actus Judiciales, ipsum exercitium Jurisdictionis, quod fieri solet in loco Iudicii à Iudice pro Tribunali sedente, & causas controversas inter Partes litigantes cognoscente. (9)

9. *l. Omnes dies, & l. Dies Festos. C. de Feriis. Pichler ubi supra & DD. in c. 1. de Feriis.*

III. Ferias prædictas in honorem DEI & Sanctorum, quibus strepitus forensis, & contentiosæ jurisdictionis exercitium, plane conquiescere jubetur, non Magistratus aliquis sæcularis (10) sed tantùm Ecclesiasticus, nempe Pontifex Romanus pro Universali Ecclesia, cum vel sine assensu Concilii Generalis (11) & Episcopus pro sua Diœcesi, similiter cum vel sine assensu Cleri & populi (12) quas sic ab Episcopo constitutas, etiam Regulares exempti, observare tenentur (13) constituere potest.

10. *Idem Pichler in Decretal. Lib. 2. tit. 9. n. 3. Innoc. X. Constit. Cùm nuper. Die 6. 8br. 1653. S. Congregat: Episcop. in Umbriaticen: 2. Mart. 1621. ut notat Thom. del Bene. in Addit. ad opus de Immunit: Eccles. v. Dies Festi.*

11. *Can. Pronuntiandum de Consecr. dist. 3. h. t. c. Cum Clerici de Verb. signific. Tambur: Lib. 4. in Decal. Cap. 1. n. 1. & 3. Pignatell. Tom. 1. Consult. 7. n. 1 & Constit: Urban: VIII. A. 1642. Idib. Septembr: Universa per Orbem.*

12. d. can. Pronuntiandum. Felin. in c. 1. n. 18. de Sponsalib. Azor. Instit. moral. p. 2. Lib. 1. Cap. 26. q. 1. & Covarr. Pract. quæst: Lib. 4 Cap. 19. n. 4.
13. Concil: Trident: Seß: 25. de Regularib: Cap. 12.

IV. Quamvis Episcopus pro sua Diœcesi, Ferias ad honorem DEI & Sanctorum Ejus, constituere possit, nihilominus illorum tantùm Sanctorum qui Authoritate Romani Pontificis in Catalogum Sanctorum sunt adscripti (14) aut saltem Beatificati (15) quæ Feriæ ad celebrationem Divinorum Officiorum, à Vespera ad Vesperam, jam verò, quò ad vacationem ab operibus servilibus, à media nocte ad alterius noctis medium (16) aut in aliquibus minùs solemnioribus feriis ad meridiem (17) observari debent.

14. c, Audivimus & ibi gloß. fin. de Reliqu: & vener. Sanct. ac Barbos. n. 1. & 3. Abb. in c. fin. h. t. n. 4. Azor d. Cap. 26. q. 4 & Sanch. in Præcept. Decal. Lib. 2. Cap. 43. n. 9.
15. Barbos. in c. fin. h. t. n. 24. & Soar.. Tom. 1. de Relig. lib. 2. de diebus Festis Cap. 11. n. 4. & 5.
16. Can. Quod à Patribus dist. 75. c. Omnes. & ibi glofs. v. Omnes dies. ac Abb. n. 1. de Feriis. Covarr. Pract. quæst. Cap, 19. n. 4. Azor. d. Cap. 26. q. 12. & l. More Romano ff. de Feriis & dilation.
17. Abb. in. c. Omnes, & c. Quoniam. h. t. Idem Azor. lc. q 8. & Constit. Provinc. Lubien. A. 1643. pag. mihi 7. de Festis

V. Præter summum Pontificem & Episcopum, etiam Princeps Sæcularis se Superiorem non recognoscens, præcipere potest subditis suis, ut ferientur, seu vacent ab operibus servilibus, vel ab Actibus Forensibus, in ordine ad requiem, vel salutẽ corporum, aut ad collectionem fructuum & similia (18.) non tamen in ordine ad cultum Religiosum DEI & sanctorum Ejus (19.)

18 l. 4 C. h t.
19. l. a nullo C. de Feriis. Pirhing. in Decretal. Lib. 2 §. 2. n. 12. e. t. & Schmier lib. 2 Tractat. 1. Cap. 5 sect. 2 § 2 n. 35.

CONCLUSIO II.

Feriæ in Ordinarias & extraordinarias potissimùm distingvuntur. (20.)

20 Schmier. d. Cap. 5. sect, 1. § 2 n. 8 & seqq. Valens. ubi supra n. 4 & seqq. & Pirhing. l. c. § 1 n. 1 & seqq.

COROLLARIA.

I. Feriæ Ordinariæ seu solemnes illæ dicuntur, quæ certo temporis spatio recurrunt, & quotannis ordinariè tanquam statæ & definitæ (21) vel generaliter ab universali Ecclesia per totum Christianum Orbem (22) vel particulariter, a singulis Ptovinciis & Civitatibus, in gratiam quorundam sanctorum Tutelarium, de quibus non est universalis Constitutio (23) celebrari solent, ac ideo in generales & particulares subdividuntur. (24)

21 c. Vn. de Reliqu. & venerat. Sanct. in 6 l. Omnes dies & l. fin. C. de Feriis Valens in Paratitl: Decretal. Lib 2 tit. n. 4. Schmier ubi supra Cap. 5, sect. 1, § 2. n. 8

22 Can. Pronuntiandum. & seqq. dist. 3, de Consecr. d. l. omnes dies. & Constit: Urbani VIII. ut supra. Universa per Orbem.

23. Iodoc. Damhouder. in Prax. Rer. Civil. Cap. 119. n. 9.

24. Idem Iodoc. Damhovder: lc.

II. Ad Ferias solemnes ordinarias, sive generales, sive particulares, referuntur feriæ sacræ, quæ ad honorem Divini Numinis aut cultum Sanctorum principaliter sunt introductæ (25) & *profanæ* seu *rusticæ*, quæ ob finem politicum & temporalem alias gtatiâ hominum sunt institutæ, propter necessitatem utilitatem vel lætitiam publicam; quales sunt feriæ messium, vindemiarum, Nundinarum. seu mercatuum, & aliæ, ordinariè quotannis recurrentes (26)

25. c. fin. de Feriis. l. Omnes dies. C. e. t. Schmier. & Pirhing ubi supra & Janidłovius Noster in suo Proceß: pag. m. 17.

26. d. c. fin. de Feriis. l. Omnes dies. C. e. t. l. Ne quis Messium ff. de Feriis & dilation.

III. Extraordinariæ seu repentinæ feriæ nuncupantur illæ, quæ

nulla

nulla ſtabili die firmatæ ſunt, ſed pro re nata, extra ordinem, vel ob bonum publicum, vel ob cauſam aliam repentinam indicuntur (27) ut ſunt dies Nativitatis, Creationis, & Coronationis Papæ, vel alterius Principis viventis, dies Anniverſaria Exequiarum Pontificis immediatè defuncti, victoriæ ex hoſte obtentæ, Matrimonii initi, Filii ſuſcepti &c. (28) & tales ſunt dies Papæ feliciter moderni BENEDICTI XIV. Nativitatîs 31. Martii 1675. Creationis 17. Coronationis 21. Aug. 1740. Regis Noſtri Sereniſſimi AVGVSTI III. Nativitatis 17. Octobr: 1696. Electionis in Regem 5. Octobr: 1733. Coronationis 17. Ian. 1734. Conſortis Ejus Sereniſſimæ MARIÆ IOSEPHÆ de Domo Auſtriaca Nativitatis 8. Decembris 1699 Coronationis in Reginam Poloniæ 17. Ian. 1734. (29) Celſiſſimi Principis noſtri ANDREÆ STANISLAI KOSTKA ZAŁVSKI, Epiſcopi Cracov: Nativitatis 24. Decembr: 1695. Ingreſſus in Cathedr: Cracov: 7. Maii, 1747.

27. l. Anullo. C. de Feriis. l. ſed & ſi 26. §. ſi Feriæ ff. ex quib: caus: major. Valens & Schmier: ubi ſupra.

28. gloſſ. in Clemen: Sæpe. v. ob neceſſitates. de Verb. Signific. Abb. in c. fin. n. 8. de Feriis. l. omnes dies. C. e. t. Mandos. Tract. de Commiſſar: Commiſſ: 13. feriis non obſtantibus. v. Feriarum hodie. fol. 75.

29. Conſtit: Regni An. 1736. fol. m 81. & ſeqq: tit Denuntiatio Regis Coronati.

IV. Præter ferias prædictas, ſunt etiam feriæ Nuptiarum, quibus à nuptiis, publicè & ſolemniter celebrandis abſtineri debet (30) quales ſunt ſpectato Iure novo, ab Adventu Domini usq; ad diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum usq; ad octavam Paſchatis incluſivè (31)

30. c Capellanus de Feriis. Barbos. de Offic: & Poteſt: Epiſcop: part. 2. alleg. 32. n. 193. & Vivian. in Rational. ſecun. Lib: Iur. Pontific: pag. mih. 76.

31: Concil. Triden: ſeſſ. 24. Cap. 10. de Reform: Azor. Inſtit. moral. part. 1. Lib: 7. Cap. 32. q. 3. & Sanch: de Matrim. Lib. 7. Diſp. 7.

V. Feriarum dies, tam ordinariarum, quàm extraordinariarum, ac etiam earum, quas Palatium Apostolicum observat, & ideo Festa Palatii apellantur (32) tunc solùm apud nos in foro spirituali, cursum Iudiciorum sistunt, & actus contentiosæ Iurisdictionis impediunt, cùm incidunt in dies Iuridicos, nimirum in dies Lunæ, Mercurrii, aut Veneris, (33) reliqui verò in Septimana Iuridici non sunt (34) sed in foro sæculari, omnes sunt Iuridici, præter feriatos. (35)

32. *Pels. in suo Proceß: Iudiciar: tit: 12. n. 78.*

33. *Ianidłovius noster in suo Proceß: Iudiciar: Cap: 6. ibi ad quod cognoscendum. pag: 17.*

34. *Vestr: in Tract: Lib: 3. Cap. 5. n. 5. & Marches: Tract: de Commißar: part: 1. Commißion: 8. derogation: feriar: Cap: 1.*

35. *Ita Praxis.*

CONCLUSIO III.

FEriæ in honorem DEI & Sanctorum institutæ, ab omnibus CHRISTI fidelibus observari debent. (36)

36. *Can. Quod die. dist: 75. can. Odi: 24. q. 1. c. licet: de Feriis. & Tolosan: in Syntagm: jur. Univers: Lib: 2. Cap: 16. n. 16. & seqq.*

COROLLARIA.

I. Feriæ in honorem DEI & venerationem Sanctorum inductæ cùm sint de Iure Divino (37) & quas Parochus singulis diebus Dominicis populo inter Missæ celebrationem indicare debet (38) ita debent ab omnibus Christi fidelibus, cùm ad usum rationis pervenerint etiamsi absit scandalum & contemptus, sub reatu peccati mortalis observari, (39) ut illis tam quò ad cultum Divinum, quàm quò ad Actus Iudiciales exercendos, excepta causa urgentis necessitatis & pietatis (40) renuntiare non possint (41) sed tunc Missæ Sacrificio, modo non sint excommunicati vel legitimè impediti interes-

intereſſe (42) Verbum DEI audire (43) orationibus vacare, Sacramenta percipere, & DEO cultum ac pietatem, ex præcepto Divino & Eccleſiaſtico, exhibere debeant. (44)

37. c. licet. & ibi DD. h. t.

38. Can. Pronuntiandum diſtin: 3. de Conſecr.

39. Anton: Schiara. in Mantiſſ: ad Lib: 4. Theol: Bellic: Difficult: 11. n. 1. contra Propos: contrar: 52. ab Innocen: XI. damnat.

40. c fin. h. t. l. 1. 2. & 3. ff. e. t. arg. can. Veniam. 35. q 9. can. utinam. diſt: 76. can. Nunquam de Conſecr: diſt: 5. & Gaill: Lib: 1. Obs: 35. n. 14. & 16.

41. c. Conqueſtus de Feriis. & ibi Vivian. in Rational: Lib: 2. Iur: Pontific: pag: mih: 76. & Toloſan: ubi ſupra. n. 18. & 20. c. fin. h. t. l. 1. 2. & 3. ff. e. t. arg: can: veniam 35 q. 9. can. Utinam diſt: 76. can. Nunquam de Conſecr: diſt: 5: Gaill: Lib: 1. Obs. 35. n. 14. 16.

42. can. Miſſas. de Conſecr: diſt: 1. can. Nullus. & can. Placita 15. q. 4.

43. can. Omnes Fideles. & can. Sacerdot: de Conſecr: diſt: 1. Concil: Triden: Seſſ: 24. Cap. 4. de Reform.

44 d. can. Odi. 24. q. 1. can. Irreligioſa. can. Iejunia. in fin. de Conſecr: diſt. 3. & Catech: Rom: p. 3. de 3tio præcepto.

II. Non ſolum Feriæ ordinariæ ſolemnes, ſed etiam extraordinariæ ſeu repentinæ, in actibus Iudicialibus ſervandæ ſunt, ac illis partes inter ſe litigantes, renuntiare non poſſunt (45) niſi id fiat communi omnium conſenſu, & uſu populi (46) feriis tamen profanis ſeu ruſticis, in gratiam privatorum principaliter conſtitutis renuntiari poteſt (47) non ſolùm in Judicio ſed etiam extra Iudicium, & non ſolum per Partes principales, ſed etiam per earum Procuratores, modo renuntiatio non tendat in præjudicium partium principalium. (48)

45. c. ſi diligenti. de Foro competen. l. Ius Publicum ff. de Pact. & Corvin. de Aphorism. juris Canon. Lib. 3. tit. 16. prope fin.

46. Calvol: in Prax: §. Dilatio Concl. 3. n. 2.

47. c. Conqueſtus. de Feriis. d. c. ſi diligenti. c. ad Apoſtolicam

de Regularib: l. ne quis Messium: & l. si Feriatis ff. de Feriis & dilation.

48. Valens. in Paratitl. Decretal. Lib. 2. tit. 9. n. 6. & Gaill. Pract: Observ: Lib: 1. Obs: 53. n. 16. & 17. l. 1. ff. de Feriis.

III. Quamvis diebus feriatis actus Iurisdictionis contentiosæ interdicantur, & ab omni opere servili, quod corporis commoditati deservit, ideoq; mechanicum est, abstinendum sit, (49) tamen imminente necessitate, licitum est operi servili, iisdem feriis non tamen majoribus intendere (50) maximè si res tempore sit peritura (51)

49. c. Omnes dies. & c. licet. de Feriis. & Scac. de Iudic. lib. 2. Cap. 5. n. 112. & seqq.

50. d. c. Omnes dies. & ibi gloss. v. Necessitate. c. licet. de Feriis & Scac. ubi supra. n. 117.

51. d. c. Licet. & ibi Barbos. in Collect. Doctor. in Lib. 2. Decretal. n. 5. & 6. ac Vivian. in Rational. Iur. Pontific.

IV. Licet in operibus, servilibus præter necessitatē, observari debeāt in honorem DEI & Sanctorum feriæ institutæ, opera tamen non servilia, stantibus prædictis feriis exerceri possunt, (52) dummodo ejusmodi exercitium de sui natura non sit illicitum (53) neq; fiat præcisè gratia lucri (54) & ita Scholaribus licitum est diebus feriatis studere & scribere (55) ne de illis illud verificetur proverbium, Scholares qui observant Festa, malè sciunt Codicem & pejus Digesta. (56)

52. arg. tex. d. c. Licet. & ibi Abb. in fin.

53. Scac. ubi supra. n. 119.

54. Barbos. in Collect. Doctor. super d. c. Licet. de Feriis. n. 4.

55. Abb. in d. c. Omnes dies. n. 4. c. Licet. n. 2. Ioan. Andr. & alii quos citat Scac. ubi supra n. 121.

56. Odofr: in l. Omnes n. 1. C de Feriis Iason in l. Divus. n. 2 ff. de Feriis & dilation.

V. In dubio an sit necessitas excusans ab observatione feriatæ diei, in opere aliquo servili petenda est ab Episcopo, vel Parocho loci licentia (57) & de consilio non verò de præcepto (58)

(58) elemosyna in recompensationem ejusmodi indulgentiæ injungenda. (59)

57. Sylvest: v. Dominica: q. 5. Sayr: in Clavi Regia Lib: 7 Cap: 2. n. 6. Sanch: Lib: 5. Concil: Cap. 2. Dub: 18. n. 11. & Baduar: in Arb: opin: moral: v. Festum.

58. Sanch: de matrim: Lib: 3. Disp: 10. n. 11. quem citat Barbos: ubi supra in c. Licet: n. 7.

59. d. c. Licet: & ibi Vivian: in Rational: Jur: Pontific.

CONCLUSIO IV.

TEmpore Feriarum, in honorem DEI & Sanctorum institutarum, actus jurisdictionis contentiosæ exerceri non possunt. (60)

60 c. Omnes dies. c. Conquestus. de Feriis. & l. Dies Festos C. e t.

COROLLARIA.

I. Actus Iurisdictionis contentiosæ, regulariter diebus feriatis, in honorem DEI & Sanctorum institutis, non solùm prohibiti, sed etiam irriti & nulli sunt, (61) adeo, ut nec per partium inter se litigantiùm consensum validari (62) nec coram Judice quocunq; sive Ordinario, sive Delegato, aut Arbitro Iuris, vel Compromissario, formam & ordinem Iudiciarii Processus observante (63) exerceri possint.

61. d. c. Conquestus: de Feriis. l. Eadem Oratione ff. de Feriis & dilation: Facund: in 5. Eccl: Præcept: Præcept: 1. Lib: 1. Cap: 13. n. 22. & alii quos citat Barbos: in Collectan: Doctor: ad c. Conquestus: n. 31.

62. d. c. Conquestus: ad fin: & ibi Abb: n. 1. in fin. de Feriis. Speculat: eod: tit. § nunc videamus: in princ: & Maranth: in Specul: aur: p. 4. dist. 16. n. 83. c. 12. de foro compet.

63. Mandos: Tract: de Commissar: Commiss: 15. feriis non obstant. v. Feriarum ibi Secundus Casus fol. mih. 76. Abb: in c. Quinta Vallis. v. Secunda Differentia. n. 9: de Jurejuran: Joan. Bapt: de Arbitr: Lib. 11. Cap. 16. fol. 283. & Menoch: de Arbitr: Iudic: Lib: 1. q. 30.

II. Licet coram omnibus Iudicibus, qui formam & ordinem Iudiciarium, in judicando servare debent, feriatis diebus pro-

cedi non possit, (64) tamen coram arbitratore seu amicabili compositore, qui prædictam formam in judicando non servat, sed solùm controversias amicabiliter, ex æquo & bono definit, (65) etiam tempore feriato, in honorem DEI vel Sanctorum instituto rectè procedi potest (66) nihilominus tam ille quàm coram illo procedentes, à peccato non sunt immunes, nisi ex laudo per eum ferendo, sequatur aliqua pax aut concordia (67)

64. l. Item Pomponius. § ex Compromisso. & l. si feriatis. ff. de Recept: Arbitr. Speculat. & Maranth. ubi supra.

65. Abb. in d. c. Quinta Vallis. n. 8. & seqq. de Iurejuran. & Gaill Pract. Obs. Lib. 1. Obs. 150. n. 4.

66. Abb. in d. c. fin. n. 10. de Feriis. Jason. in l. 1. n. 4. ff. de Feriis & dilation. Menoch: de Arbitr. Iudic. Lib. 1. q. 30. n. 13. & Paul: de Castr: in l. Omnes. n. 6. C. de Feriis.

67. Abb. in d. c. Quinta Vallis. differ: 13. n. 22. de Iure juran. Ioan. Bapt. Tract. de Arbitr. Lib. 11 Cap. 10. fol. 283. quos refert Scac. de Iudic. Lib. 2. Cap 5. n. 21 109. & 110.

III. Prædicti actus contentiosæ jurisdictionis, diebus feriatis in honorem DEI & Sanctorum, non solùm prohibentur in ordinariis, sed etiam in Summariis Causis, in quibus proceditur sine figura Iudicii, & sine solennitate Iuris (68) ac sola facti veritate inspecta (69) nec non in illis quæ commissæ essent cum facultate procedendi singulis diebus feriatis & non feriatis (70) nisi fiant & exerceantur ejusmodi actus, in casibus necessitatis vel pietatis, ut pote in captura debitoris suspecti de fuga, (71) in re tempore peritura, (72) Causis debilium seu miserabilium personarũ, vel quia sunt valetudinarii, senes, aut absfuturi, de quorum morte timetur, qui non solum examinari, sed etiam juramentum præstare possunt die feriata (73) alimentorum, modo sint præsentia vel futura non præterita (74) in causis celeritatem desiderantibus, (75) in causa dotis pauperi mulieri consignatæ (76) deservitæ mercedis, illi debitæ, qui non habet unde vivat, (77) causa carcerati (78) interpositæ apellationis, (79) examinis testium, qui die non feriata jurarunt, (80) Scholarium sed tantùm in terminis alimentorum, & em-

ptio.

ptionis, librorum (81) in causis Syndicatûs, alias contra Iudicem, post depositum Officium (82) pacis & concordiæ, ac omnibus aliis piis & Reipublicæ causis. (83)

68. gloss: in Clemen: sæpe. v. Ob necessitates. de Verb. signific. Felyn. in c. Dilecti. v. sed quaro. n. 7. & ibi. Dec. v. secundo infertur. n. 22. de Iudic. & Maranth. in Specul. aur. p. 4. dist. 16. n. 90.

69. Scac. de Iudic. Lib. 1. Cap. 53. n. 38. & Maranth: d. spec. aur. p. 4. dist. 9. n. 32.

70. Mandos. Tract. de Commissar. Commission. 13. Feriis non obstantibus. v. Feriarum fol. 76. & Marches. Tract. eod. p. 1. Commission. 8. Derogationis Feriarum Cap. 1. n. 48 & 52.

71. Maranth. d. p. 4 dist. 16. n. 92. & p. 6. Act. 10. n. 43. de Actor. edit. & Iason. in l. 1. § sed excipiuntur. notat. 5. n. 9. ff. de Feriis & dilation.

72. c. fin. & ibi gloss v. Necessitas. ac Abb: n. 13. & 14. necnon Gaill. Tract: Observ: Lib: 1. Obs: 53. n. 13.

73. Idem Gaill: ibid: Abb: in d. c. fin: n. 14. & 15. de Fer: & Beninc: Tract: de pauper: & ejus privileg: q. 4. n. 28. fol: 143 & alii quos refert Scac: de Iudic: Lib: 2. Cap: 5. n. 74.

74. l. 2. ff. de Feriis & dilation: Barthol: in l. Divus. n. 5. Speculat eod: tit: § sequitur: v. Porro: n. 7. in fin: & Surd: Tract: de Aliment: tit: 8. privileg. 2. n. 14. Iason ubi supr: n. 7. Dec: in l de Alimentis n. 18. C. de Transact: & Surd: d. privileg: 2. n 14.

75. Abb: in d c. fin: n. 14. fallen: 5. de Feriis: Felyn: in c. fin: n. 29. v. propter periculum. & n. 32. v. Item prædicta de Iudic: & Maranth: d. p. 6. Act: 10. n. 41. de Actor: edit.

76. Dec. in l. Captatorias. n. 25. C. de Testamen: Milit: & Beninc: d. Tract: de pauper: & ejus privileg: q. 5. n 5. & 6.

77. Alex. in l. 1. n. 5. ff. de Feriis & dilation: Banacoss: Tract. de serv: & famul: q. 222. f. 129. & Surd: de privileg: 2. n. 7. in fin.

78. Gaill. ubi supra & Scac. de Iudic. Lib. 2. Cap. 5. n. 65. ubi alios citant.

79. Abb. in d. c. fin. n. 13. fallen. 1. de Feriis. Felyn. in c. fin. Declar: 6. n. 10. de Iudic. Vestr. Lib. 7. Cap. 3. n. 26.

80. Felyn. in c. Licet causam. n. 19. de Probat. Abb. in c. 1. n. 9. de Fer. & Speculat. eod. tit. §. sequitur. v. Quid sit testis n. 6.

81. Horat. Lutius. de Privileg. Scholar. Privileg. 1. fol. 71. quem refert Scac. ubi supr. n. 15.

82. Idem Scac. l. c. n. 24. 25. & 77. ubi DD. citat.

83. Arg. can. Decrevit. 22. q. 1. l. 43. ff. de Relig. & sumpt. funer. & Pichler: in Candidat. Abbreviat: Iur: Canon: Lib. 2. tit. 9. n. 3.

IV. Actus Iurisdictionis contentiosæ, quæ redditur in invitum & nolentem (84) sunt, Citatio à Iudice pro Tribunali sedente mandata, vel per injectionem manuum, aut per publicam proclamationem facta, oblatio libelli Adversario Iudicialis, cognitio causæ, præstatio juramenti in judicio, fidejussionis exactio, sententiæ prolatio & publicatio, præviam causæ cognitionem præsupponens, condemnatio ad pænam vel mortem, pænæ sancitæ executio, ac alii similes actus, per strepitum peragi soliti. (85)

84. l. inter stipulantem §. 1 ff. de Verb. Obligat. & Maranth. specul. aur. p. 4. dist. 18. n. 1.

85. can. nullus Episcoporū. can. Placita sæcularia. & can. Nullus Episcopus 15. q. 4. c. fin. de Feriis & l. si Ferialis ff. e. t.

V. Actus Jurisdictionis voluntariæ, de plano, & sine judiciali causæ cognitione fieri soliti, quales sunt, Privilegiorum & Indulgentiarum concessio, earumq; confirmatio vel admissio, absolutio, dispensatio, contrâctuum approbatio, Tutorum vel Curatorum assignatio, instrumentorum confectio, alimentorum constitutio, manumissio, emancipatio, adoptio, & alii actus ejusmodi, Judicialem causæ cognitionem non requirentes, die feriata in honorē DEI & Sanctorum instituta, rectè exerceri possunt. (86)

86. l. Actus. C. de Feriis. & Laurent. de Nicoll. Prax. Canon. Tom. 1. sub lit: F. n. 2. de Feriis.

HINC ILLI,

Qui requievit die septimo ab omni opere, quod patraverat, & benedixit diei septimo, & sanctificavit illum, *Gen. 7. v. 2. & 3.*

Laus, Honor & Gloria in sæcula.

Permissu MAGNIFICI DOMINI RECTORIS.

